



DEO OPTIMO MAXIMO,
VIRGINI DEI-PARÆ,
ET S. LUCÆ, MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.
QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis agitanda disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Luna 17 Novembris, horâ septimâ matutinâ.

M. HENRICO MACQUART, Profef. Mallio, Præside.

An in Peripneumoniis periculosa epistola?

I.



INTER ea quæ humanum genus impetunt, & miserè discruciant, morborum agmina, nullum peripneumoniis frequentius insilit, nec ullum est circa ejus tractandi methodum tam diversa fuerit variorum Medicorum sententia. Alii quippe sanguinem ultrâ modum profundunt, emittunt alii parcius: aliis cathartorum, diluentium aliis placet usus frequentior: illi emetica suadent, isti ut venenum lethale pertimescunt atque reprobant. Quâ se viâ labyrintho extricare valeat junior Medicus? Magnishinc & indè nominibus contrariæ suffulciuntur opiniones. Ex ipsâ met morbi naturâ curatoriam indicationem eruat. Quid sit peripneumonia, quotuplici ratione judicari soleat, ritè noverit; nec tùm quæ profint, quæ noceant medicamina difficilis erit judicii perpendere. Peripneumonia seu

pulmonum inflammatio, est arteriosi sanguinis minorum intrâ canalium angustias hærentis compressio. Sive etenim quâcumque de causâ imminuta sit vasculorum diameter, sive crassiores trajiciendis pulmonum canalibus factæ fuerint sanguinis moleculæ, fluidi ponè urgentis impetu à basi protruduntur ad apicem conicum, quem permeare cursu libero non valent. Hinc distenduntur vasa, distrahuntur, dilatantur, disrumpuntur. Sanguis partim quâ data porta ruit: interim qui neque solitâ potest semitâ pergere, neque effluere per hiantes arteriolarum scissuras, laterales ad ramulos deflectit, & non sibi destinata præterlabitur littora. Movendorum ergò liberis in vasis liquorum copiam adauget, validioremque, pro fortiori in elasticos parietes actione, renixum patitur; inde pulsûs elevatio. Acceleratur fluidorum velocitas, quæ conquassata, repetitis que ictibus veluti diverberata rarefiunt, spuriamque plethoram prognerant, aut veram adaugent. Breviori tandem ad cor spatio refluus sanguis, majori quàm par est quantitate, utrumque cordis ventriculum latius, & solito frequentius expandit, reciprocâque ad diastolem sistole vehementius propellitur. Adest febris. Est igitur peripneumone pulmonarium arteriolarum obstructio. Quibus autem ex causis illa capillares intrâ tubulos liquorum stagnatio? Quamplurimis, iisque vel solitariè, vel simul agentibus. Huc in mentem revocentur quæ superius commemorata sunt duobus modis enasci posse inflammationem, cum vel sic accrevit globulorum crassities, ut ab extremis vasis nullus pateat exitus, vel sic decrevit canalium cavitas, ut sphæram sanguineam non capiant. Ut autem imminuatur vasculorum capacitas, necesse est ut contracta fibrillarum tunicas constituentium compages, ad axem ex omni periferiæ puncto ultrâ modum accedat. Id efficient calor exæstuans, frigus nimium, humorum acrimonia. Calore videlicet, si naturalem multò excesserit, exsiccantur fibræ, rigescunt, indurantur non sine insigni canalium contractione, & capacitatis imminutione. Quantum prunis ardentibus admotæ carnes statim se se contrahant satis omnes novimus. Idem prorsus in humano corpore pro suis viribus calor efficit. Vel ipsa hyperboreo frigore condensari metalla, & ad minores dimensiones redigi experientia compertum docuit. Quæ venti borealis afflatibus aquæ in glaciem compinguntur, minus, oculo judice, volumen occupant, ad eandem mensuram redituræ, si leni tepore solvantur. Quidni & eadem in homine contingerent, quem subitum & vehemens noxiâ inspiratione frigus corripuerit? Crispabuntur ergò vasa, & coarctabuntur: atque illud cuilibet attendenti perspicuum est, cum allabente brumali aëre anhelosa tremulis succussibus fatigatur respiratio. Quâ ratione noceat humorum acritudo satis intelligitur: dum etenim stimulis suis pungunt, & quædam veluti vulnuscula solidis infligunt; renititur natura, & violentâ fibrillarum ad se invicem

approximatione aut præcavet ne ulteriùs penetrent, aut ut lædentia corpulcula succutiat omni molitur conamine; vermiculorum ad instar, quos acu si pupugeris, in se se redeunt, & quodammodò replicantur. Quod autem hæc vis insit acribus ut fibrarum contractionem promoveant quotidiana satis evincit observatio. Omnia omnis generis salia quandam ingrati sensûs strictionem linguæ palatoque conciliant. In promptu res est admotis ad labia alumine, vitriolo, ex fossilibus; & ex vegetantibus quæ acerrimo sale turgent piretrâ, nicotianâ, ari recens excerpti radice. Demonstrat injecta in oculum vel levissima cuperosæ romanæ dissolutio, quâ sic palpebræ contrahuntur ut vix ac ne vix quidem divelli queant.

II.

JAM verò inflammatoriam sanguini viscositatem conciliant quæcumque circulatorium sanguinis motum aut vehementiùs promovent, aut insigniter remorantur. Huc redeunt & frigus acre, & calor nimius, novâ ratione novas hidraulicæ machinæ inordinationes paritura. Huc & revocantur quæcumque sanguinem coagulant. Cruorem alterâ parte rubrâ, alterâ ferrosâ conflare ipsa cruoris venâ educti docet inspectio. Serum alterâ parte aqueâ, alterâ gelatinescente, item ex gelatinosis pluribus moleculis globulum rubrum confici extrâ dubium posuit mira in observando Lewenhœkii sagacitas. Sphæricæ sunt, aut sphæroideæ, tum lymphæ sinovialis, tum rubentium globulorum moleculæ; ideòque minimis superficierum punctis sibi invicem applicantur. Vacua contactu spatiola occupant, & serum propriè dictum, & sero immixtus aër. Quid indè si motus circulationis vehementior? Ad conicam arteriarum structuram attende, & illicò comperies. Vi cordis & arteriarum elasticitate propellitur sanguis ad conii verticem, appellenti resistentiam offerunt convergentia conii latera, seu unaquæque conii segmenta. Repellitur, resistit ponè sequens fluidi columna; igitur, quemadmodum in torculari racemus, hinc & indè pressæ sanguinis moleculæ latiori sibi mutuò superficie complanabiles compingentur, exprimetur interposita cui innatant aqua subtilior, ad vasorum secernentium & excernentium oscula copiosius illa affluet & effluet, sicque concreset sanguis suo diluente vehiculo vacuus. Suis interim forti compressione evaginatus ergastulis aër rarefiet, explicabuntur & exaltabuntur salia & sulphura; sanguinem lactis ad instar igni vivido superpositi tumefacient, nothamque crassissimæ indolis inducent plethoram. Quid contrâ, si relentescat cordis & arteriarum impulsus? Suæ in se fluiditatis principium non habet sanguis, at à solo vasorum continuo & temperato motu mutuatur. Missus e venis quàm facilè coalescat, ubi tantillum quievit, quotidie ob oculos habemus. Nativâ igitur ad coagulum propensione cohærebit, si notabiliter imminuta fuerit circulatorii motûs quantitas. Hinc apud desides & otiosos homines tam frequens peripneumoniarum insultus.

Hæc si pariat motûs remissio, quantò majora naturæ mala conferet frigus acre, cum sit in affectâ parte totius penè motûs extinctio. In promptu res est, nec commentariis indiget.

Neque etiam fluidis minorem quàm solidis labem inurit calor immodicus. Subtilissimas fluidorum partes in tenues auras evaporat, limphamque nutritiam facilè inspissabilem concoquens, in massas cogit solidas, vix postea resolubiles. Indè coriaceus ille tam mali ominis cruor in pleuritide & peripneumoniis. Sanguinem coagulant, & austera, & acida ex mineralibus, alumen, vitriolum, nitri spiritus, &c.

III.

QUATUOR autem modis absolvi potest pulmonis inflammatio; resolutione, suppuratione, schirro, gangrænâ: resolutione quidem, si suus hærenti liquido fluor, nativæque lenitas restituantur; suppuratione, si acrescens diuturniori stagnatione liquidum jam debilitatas per nimiam distractionem vasorum extremitas sensim sine sensu erodat, & destruat; schirro, si diffatis tenuioribus sanguinis partibus, sola pars crassior intrâ tumefacti pulmonis arteriolas sicca & indolens indurescat, hærescatque; gangrænâ demum, si motu concitatissimo pulsus in immeabilem obstructionis materiam sanguis arteriosus tenerrima subito rumpat vascula, effluat, in ruptis partibus putrescat, intercipiatque omne partis affectæ cum vivis commercium. Id verò unum intendere debet Medicus, ut citam, quantum fieri poterit, resolutionem provocet; sin minus id omni artis molimine potest obtineri, ad benignam perducatur suppurationem: neque etenim ex gangrænâ aut schirro salus ulla ferè sperari valeat. Nec mirum quod in isto morbi genere tam multa apud Practicos medendi ratio. Ex multiplici nempe quas sibi animo objiciunt causarum diversitate, diversas quisque repetunt indicationes. Hinc est quod alii, ut lentam sanguinis viscositatem corrigant, incidentia, attenuantia, diluentia sola ægris exhibeant; alii, ut rigidam vasculorum imminuant distentionem, sanguinisque in obstructa loca impetum, ad venæ sectionem immodicam, anodyna, emollientia, oleosa confugiant; alii demùm, ut proximam morbi atrociumque symptomatum causam quasi manu tollant, emesim, ne quidem obstante sputo cruento, omnibus celebrent encomiis. Peccant qui emetica peripneumoniacis audaciori manu porrigunt? Imò sanè peccant. Hujus sunt generis vomitoria quæ, si non prosint, noceant plurimùm. Ut quid emeticum in istis pectoris affectibus quàm plurimi, nec infimi nominis Practici, tanquam aconitum exitiale metuerunt? Docuit nempe observatrix experientia acri remedio momentulum ægros allevari, postmodùm in Syllam à Charibdi collapsuros. Enim verò quod in peripneumone negotium? Naturalem sanguini fluiditatem reddere, deperditam obstructis vasis elasticitatem restituere. Id præ-

tant emetica? Attendamus emeticorum quæ sit in totius ferè corporis habitum actio, debellandisque peripneumoniis quantum sint imparia, (contraria ferè dixerim) facile evictum fuerit. Villosam seu nerveam ventriculi tunicam convellunt. Nervos accipit ille ab octavo pari, sicque cum nervis linguæ, pharyngis, laryngis, œsophagi, vicinarumque partium; cum plexibus pulmonari, & cardiaco, anastomosibus frequentissimis communicat; miram verò inferiùs, ganglionum ope semilunarium, habet sympathiam cum plexibus hepatico, splenico, cum mesentericis, renali & hypogastrico; adeòque cum vertebralibus nervis, à quorum ramulis sic toto suo decursu intercostalis accrescit, ut ab iis ferè totus nasci videatur. Motu exagitatus spasmodico ventriculus, non modò muscularem contrahit tunicam, sed & acceptam convulsionis impressionem ad eas usque partes transmittit quàm citissimè quibuscum mutuum habet nervorum commercium. Contrahuntur quinque abdominalium musculorum paria, contrahuntur respirationis muscoli, & præ cæteris diaphragma; dilatatur pectoris amplitudo, coangustatur abdominis cavitas: sursum repetitis ictibus lien, intestina; forti inspiratione deorsum pulmones protruduntur. Comprimitur undequaque medius his ventriculus; anteriùs scilicet musculis rectis; subtùs, & ab utroque latere, tum obliquis, tum transversis, tum subsilienti abdominalium viscerum impetu; supernè, diaphragmatis validè succussi tensione, pulmonumque huic incumbentium pondere. Ad se invicem applicantur ventriculi parietes, contentaque foras per cardiacam & œsophagum eructantur, non sine vi summâ, horrendâque machinæ totius defatigatione. Notandum autem his motibus appellentem ex arteriis ad inferiora sanguinem aut retropelli, aut saltem validè sisti & cohiberi, superioraque versùs quâdam violentiâ determinari: longè etenim excedit convulsivus vomitionis motus vim cordis & arteriarum, cum ex eo fiat ut contra proprium pondus ascendant quæ stomacho continentur. Iisdem causis intereà acceleratur venosi sanguinis velocitas à venâ portarum ad hepar, ab hepate ad cor per ascendentem cavam. Proindè solito major sanguinis còpia ad cor affluet, majorque ab irritato corde emittetur. Quò se ferat ille? inferiùs? Prohibet compressio: superius? Rubet quidem facies, turgescunt oculi; at horrificâ exagitati convulsione muscoli totius sanguinis superabundantis ingressum præpediunt. Quò demùm se ferat? eò ubi minùs resistitur, ad pulmones. Externâ vi penè nullâ comprimuntur vomitùs tempore, cumque sint quàm maximè dilatati, explicantur & obliterantur sanguiferorum vasculorum rugæ; in iis à clarissimo viro D. D. Helvetio notatæ, oblongatur uniuscujusque axis, fiuntque vasa majori sanguinis quantitati continendæ capaciora; neque multùm resistit levis, mollis, & compressibili aëre plena pulmonum substantia. Vivide igitur impulsus à tergo sanguis stagnantem

canaliculis materiam altiùs infiget, veluti ligno clavum malleus, vasaque fortassè, distendentis liquidi excessu magis ac magis disrumpet.

IV.

QUÆSO nunc, potest emesis suam sanguini fluiditatem, suam lenitatem reddere, suum oppilatis vasis elaterium? Quo scilicet morbi perido? An in grassantis insultu? an in ingravescentis statu? An in remittentis decremento? Ab ipsismet primis temporibus aut gravis est morbus, aut levis. Si levis, emetico quid opus? Mittatur sanguis, potu aquæ blando, leni, copioso diluantur; minoratis purgantibus subducatur alvus; continuòque resolvetur infarctus nondum tenacior. Si gravis, à formidoloso remedio quid non extimescam? Præcipuæ sunt inflammationis causæ motus vehementior, calorque immodicus. Vomitus motuum omnium est vehementissimus, ex vomitu calor urens; ex emeticorum mordacitate fortissima in fibris tensio, rigiditasque, quandiù qualicumque ratione subsistit emeticorum actio. Quid postmodum accidit? Musicorum instrumentorum chordis non absimiles sunt humani corporis fibræ. Illæ si ultrà naturalem tonum, à quarto, verbi gratiâ, ad octavum elevatæ fuerint, aut rumpuntur permanente diutiùs tensionis causâ; aut, si sibi redditæ, in tantum infra naturalem gradum concidunt, in quantum suprâ elevatæ fuerant. Idem in fibrarum præsertim pulmonarium eretismo observandum venit, utpotè quæ sint molles, laxæ, diurnæque tensionis incapaces. Igitur plus æquo emeticorum cavillationibus erectæ subitò rumpentur, nasceturque gangræna; aut derepentè confident, & remittentur. Hinc supprimetur expectoratio, augebitur in horas infarctus, increfcet respirationis difficultas, teterrimaque fient omnia symptomata. In morbi statu quantum periculosa sit emesis quis non videt? Cumulabit jam gravissimas inflammationis causas, concitatiores videlicet motum, inspissatoriumque sanguinis ardorem; humores crudos & incoctos, materiam nondum benè præparatam, per vim frustraneam nitetur expellere. Quæ non indè exorientur symptomata morbo graviora? Febris violentissima miseros artus depascetur, per totam corporis habitudinem punctorius perferentietur dolor torporis prænuntius, capitis dolor intolerabilis; quin imò sæpè sepiùs phrænesis aut delirium supervenient.

V.

AT cedent, inquit, blandis ad vasorum latera succussibus hærentes moleculæ, fugiendoque canales relinquent liberos. Esto. Unius aut alterius horæ spatio meliùs habebit æger. Quid postea? Inspissatus iterum stagnescet cruor, reviviscetque hydra nondum Herculeis edomita laboribus. At velim undenam blandus iste ad vasorum pulmonarium latera succussus? A corde? Secundum totam axis vasorum longitudinem motum dirigit. A diaphragmate? Nequaquam profectò. Subitissimè quidem, ac

veluti subsultim contrahitur vomitûs tempore, lentissimè veró re-
 mittitur. Omnem extrà controversiam ponit lenta post vomitum expiratio.
 Quæ alia valeat causa excogitari tam officiosè leni impulsu vasorum latera
 discutiens per vomitum? Affirmare non dubitem; nulla. Toto itaque
 cælo aberrant qui emetica peripneumonicis propinando, id unum inten-
 dunt, ut blandis ad vasorum latera succussibus resolutionem materiæ sta-
 gnantis efficiant. Rarò levamen, mala plurima sæpissimè crudeliori me-
 thodo procreant. Conclamabunt & alii emeticis volatilibus nonnihil inesse
 sulphuris cui sit virtus præpotens corporis ad intimos usque recessus pe-
 netrare, veluti cuneo coacervatam dividere materiem, circulationisque
 commercio fluidam reddere. Ut ut sit, dicam quod res est. Infitâ illâ in-
 cidendi facultate tunc fortasse proderunt, cùm materia in primis viis turget;
 si aliundè aut præviis remissa medicaminibus, aut mitissima usque tùm
 fuerint symptomata, febris leviuscula, non vîvida, pulsus non admodum
 rigidus, spiratio non ità difficilis, faciei rubor à naturali plurimùm non re-
 cedens, humidula linguæ temperies, dolor non intensus; si prætereà Medico
 observentur signa coctionis non æquivoca, nausæ, borborigmi, oris
 fœtor, ventriculi ex tactu dolor quidam, quin & aliquandò provocatum
 ab ipsâ medicatrice naturâ alvi profluvium. Esto. His conditionibus emetica
 in peripneumoniis porrigantur, parcâ quidem manu, Medicique pruden-
 tiam summoperè laudaverim. Quâ autem cautione ultimam operi manum
 admoveat? Aposemate ex cichoraceis plurimo, sub calido emulsionum le-
 vissimorumque jusculorum potu, separatas jam à se invicem moleculas ab
 iterandâ præpediat cohæsione, benignoque & moderato identidem oleo-
 rum cum sirupis alluvio referata illineat vasa, demulceat, emolliat, re-
 laxet. At quàm rarus, rure præsertim, morbus ille in quo sic materia tur-
 get! Quantò rarior in quo mitia sint turgidâ simul cum materie sympto-
 mata. Neque tamen diffitebor lautis in urbibus, ubi non sine summo edu-
 liorum apparatu vivitur, plus humoris illius acris congeri, qui viscosus in-
 ternis primarum viarum parietibus intimè conglutinatur. Jam scilicet ad
 putrefactionem vergunt quàm proximè qui exquisitissimi apud magnates, aut
 etiam apud cives (adeo serpit gulæ furor) arte culinariâ cibi præparantur.
 His adde ex illâ esculentorum tam diversorum, perniciosisque aromatibus
 quantum fat est tam diversimodè conditorum, cum potulentis tam variis
 mixtione, potest humor bonus, fluens, dulcis, sanguini analogus exfugi?
 Quantò temperantiùs, tantò saniùs vivunt agrestes, aut securiùs ægrotant.
 Victu qualem natura obtulit simplicissimo, paucis carnibus, oleribus multis,
 lacte recens mulso, nocivæ stomacho saburræ nihil ferè injiciunt, quam,
 si quæ sit, quotidianis exercitationibus fermè totam non discutiant. Hinc
 in iis pulmonum inflammatio, intemperies sicca á vomitoriis abhorrescens.

Extrâ posito casu materiæ in sinuosis primarum viarum amfractibus turgescentis, perperam, nec sine pessimis ægri rebus ad emeticum confugas. Sanguis rarefiet, omniaque dira secum trahet incommoda quæ ab intemperii siccâ deducuntur, Si emetica ex eo laudaveris quod sulphuribus foeta sint attenuandi vi summâ præditis, quantò fatiùs Kermès minerale eâ dosi usurpare quâ ne nauseam quidem cieat. Iis plantarum succis immixtum quæ aperientes frigidaë audiunt, incisoriâ sui parte id omne præstabit quod ab emeticis tibi pollicere; horrendasque vomitûs sequelas non pariet.

Ergo in Peripneumoniis periculosa æstis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. PETRUS JOSNET , Professor <i>Antonianus.</i>	M. LUDOV. HIERONYMUS RAUSSIN , Prof. Scholarum	M. PETRUS JOSNET Professor <i>Scholarum.</i>
M. HENRICUS MACQUART , Professor Mallius.	M. HENRICUS NINNIN , <i>Serenissimi Principis Claramontii Comitis Medicus ordinarius, Prof. Scholarum.</i>	M. DESIDERIUS LECAMUS .
M. THOMAS LARBRE Prof. <i>Antonianus & Decanus.</i>		

Proponebat Remis, JOANNES RAIMONDUS BAILHERON,
Biterensis, Saluberrimæ Facultatis Remensis Baccalaureus.
A. R. S. H. M. DCC. LV.

PRO LICENTIATU.

Ex Typis R. FLORENTAIN, Regis, Universitatis, Urbis,
Facultatisque Medicinæ Typographi.